

❁❁❁❁❁❁

---

Cum omnes tamen ne TE quidem, PRINCEPS, quem orare præclarum, cui preces adhibere plenissimum dignitatis est, verbo saltim adiissent: Sponte in familiam tam insigne munus infusum est; Neque hîc tam pia Clementia substitit: gratiam in liberos usque porrexisti, ac sextum jam fratrem meum (Patruorum filios taceo) Tuis sumtibus Theologiæ sacris initiasti, qui omnes ex gratia munificentiae Tuæ sanctissimis in Ecclesia muneribus, aliqui funguntur jam, cæteri præparantur. Ego, qui Civili Sapientiæ nomen dedi, in Tua Academia, successu minimè dolendo, stadium decurri, tam Professoribus Tuis, quos semper ad legis excellentissimos, quam peculiari à TE beneficio, immediate adjuratus. Nam rebus ac studiis meis permultum profuit, quod ex propitio permisso Tuo cum Patruo JCIO, JOHANNÉ ULRICO ZELLERO, Intimæ admissionis Consiliario, ac bis Legato Tuo, ann. 1664. ad DN. CONSTANTIENSEM EPISCOPUM, & multos Suevici Circuli Ordines, indeque ad Comitiam Imperii, Ratisbonam coacta, ac Ipsissima tunc Capitis & Membrorum præcipuorum, adeoque Tua etiam, præsentia, multò, quam unquam, Illustrissima, & Maximam ejusdem Circuli dietam; annoque 1666. ad Aulam Moguntinam, ac EMINENTISSIMUM illic ELECTOREM, ire mihi, ac vana Status Publici momenta notare licuit. Quid ergo? Tantis divinæ Benignitatis Tuæ illecebris, etiamsi omni sensu careremus; ad quamvis profecto intelligentiam adduceremur tamen. Siquidem Maximum Principem unam familiam tot muneribus ornare, quinimo festinatis fovoribus amplificare, non est oratorem pro gratiis agendis admonere, sed facere. Agimus itaque gratias, Serenissime Princeps & Pater Publice, agimus gratias tam justæ Benignitati Tuæ; Ego maximè, non dum has modò lineas duco, sed usque quaque gratias ago, tum tacens, tum loquens,

tum